

02 H 472









No 277.

# DANIELIS NETTELBLADT

POTENSISS. BORVSSOR. REGI A CONSILIIIS INTIMIS  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS  
ET FACULTATIS IVRIDICAE ORDINARIJ

O P V S C V L V M  
D E

## IVRE IMPERATORIS, VICARIORVM IMPERII, ELECTORVM, ET RELIQVORVM STATVVM IMPERII



CIRCA QVAESTIONEM AN?  
IN ELECTIONE REGIS ROMANORVM.



OLIM

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADU DOCTOIS

D. XVII. MART. MDCCLXIV.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

ERVDTORVM EXAMINI SVBIECTVM

---

IAM DENO, EDITVM 1753. ET RECVSVM 1777.

---

HALAE SALICAE,  
STANNO HENDELIANO.

2.

W

1744





## PHILOSOPHVS

In Discursu Præl. de Philosophia in genere

Log. Lat. præfixo Cap. IV. §. 139.

**Q**uodsi fuerint alii, quibus cognitio incerta satisfacit, quæ ad  
progressum scientiarum nihil confert, quin eidem potius aduersatur,  
nec ullum in vita usum spondet, quam ut ambiguo tentamine suc-  
cessum fortunæ committamus, & spe sæpissime inani animum lacte-  
mus; eis non succensemus, quod rem suam suo modo agant, summa  
imis miscentes, vtentes terminis, quibus nulla determinata respondet  
idea, & descendentes propositiones vagas, de quibus, quod subiectum  
& prædicatum conueniente modo determinata non sunt, in utramque  
contradictionis partem quadam specie disceptatur.



GRANDI COELI DEPOSITO PHILOSOPHORVM

QVI EVERVNT SVNT ET ERVNT

PRINCIPI

CHRISTIANO WOLFIO

FRIDERICIANAE CANCELLARIO

VIRO

NON HONORVM TITVLIS SOLVM

SED ET MERITIS GRAVI

MOLESTO TAMEN NEMINI NISI AEMVLIS (\*)

QVI

VT HERMES OLIM AEGYPTVM

ORBEM NOVA LVCE IRRADIAT (\*\*)

VT PLATO OLIM CVM SOCRATE

CVM LEIBNIZIO MINERVAE GALEAM ORNAT (\*\*\*)

VT EVCLIDES OLIM MATHESIN

CVM ILLA PHILOSOPHIAM

PERVIAM FIRMAM ET VTILEM REDDIDIT (†)

VT

QVI EVM LEGIT IN PHILOSOPHICIS

HVIC AD METHODVM QVOD PERTINET

EVCLIDEM IPSVM

IN MATHEMATICIS LEGERE VIDEATVR (††)

ET QVE DEBEAT

PHILOSOPHIA


SEDES FRVCTVS QVE PERENNES (†††)



CVM· VOTO  
 V T  
 CVM· HALAM· OLIM  
 MARBURGVM· DEIN  
 VTRAMQVE· MVRSARVM· SEDEM  
 PER· SEPTENDECIM· ANNORVM· TRACTVM  
 ORNAVIT· ILLVSTRAVIT  
 POSTQVAM  
 ABSENTIAE· ANNIS· PRAESENTIAE· AEQVALIBVS  
 HALAM· REVERSVS (††)  
 PRAESENTIAE· FVTVRAE  
 ANNI  
 PRAESENTIAE· PRAETERITAE  
 ANNOS  
 TER· QVATER· QVE· CONTINEANT  
 OBSERVANTIA· TANTA  
 QVANTA· EST· SVMMA  
 SPECIMEN· HOC· INAVGVRALE  
 D· D· D  
 DANIEL· NETTELBLADT

(\*) vid. moneta Norimbergæ in memoriam EIVS cusa. (\*\*\*) Defuncta hæc comparatio  
 ex inscriptione qua effigies EIVS, quam MDCCXXXV. Hamburgi sculpi curavit Illustr.  
 de BRAEM, ornata. (\*\*\*) Hoc fulgentissimo decore galeam Mineræ ornatam vi-  
 de in moneta in memoriam instituta Societatis Alethophilorum cusa MDCCXXXVL  
 (††) Conf. moneta nota (\*) iam laudata. (\*\*†) Est iudicium B. SERERI, cuius  
 cura Opera Philofophica Latina Verona recusa, in dedicatione Philofophiæ rationalis ad Se-  
 reniff. Veneriarum Ducem. (\*\*††) Vid. moneta quam Ioan. Dacier Genævæ  
 MDCCXXXIII. in memoriam EIVS cudid. (†††) Memoriam huius felicitis reditus  
 conferuat moneta ipfo reditus anno MDCCXL. cusa.





CAPVT PRIMVM

DE

REGE ROMANORVM, ET QVÆSTIONE  
AN? IN EIVS ELECTIONE, IN GENERE.



§. I.

*Imperans Imperii Romano-Germanici* dicitur persona, cui competit ius proprio nomine dirigendi exercitium maiestatis Imperii Rom. Germ. *Imperantis Imp. R. G. defunctio,*

Quodsi quis termino metaphorico vti malit, quem Imperantem dixi, Caput Imperii Romano-Germanici appellare posset. Constat enim in ipsis legibus <sup>a)</sup> Imperantem *das Haupt*, & Status *die Glieder* appellari, sicque inter Imperium & corpus humanum similitudinem institui, quam neuiquam claudicare eleganter docuit Ictus rationalis Perill. Dn. de CRAMER <sup>b)</sup> studiorum meorum Promotor ad cineres vsque colendus. Vt vero Imperans Imperii Rom. German. a Statibus Imper. Rom. Germ. distingui possit, a iure dirigendi

A 3

di



di exercitium maiestatis differentiam specificam desumsi. In ipso exercitio maiestatis enim Imperans & Status Imperii Rom. Germ. concurrunt, eius directio vero soli Imperanti propria est.

- a) A. B. Tit. 2. § 1. 5. *Recess. Imperii nouiss. §. 1. Capitular. nouiss. arr. XI. §. 6.*  
 b) In Programmate, in quo *unitatem Republicae in Sacro Imperii Romano*, more suo, id est, solide & docte eicit; quod ornat frontem Orationis: *de executione immediata quam Nobilitas immediata in territorii Statuum sibi vindicat.*

## §. II.

*eiusque diu-  
sio in praesens  
sentem & fu-  
turum.*

*Præfens Imperans I. R. G.* dicitur, qui habet ius præfens ad directionem exercitii maiestatis Imp. Rom. Germ.  
*Futurus Imperans I. R. G.* vero appellatur, qui habet ius futurum ad directionem exercitii maiestatis Imperii Romano-Germanici.

Ius præfens & futurum quomodo differant, non possum non quin breuissimis addam, cum omnis differentia Imperantem præfentem inter & futurum ab hac iuris differentia dependeat. Sunt vero ius præfens & futurum species iuris quaesiti. Ius quaesitum enim desinente PHILOSOPHO a) dicitur, quod actu nobis competit. Iam vero aut ius ipsum tam, quam eius exercitium nobis iam actu competit, aut ius ipsum quidem iam actu competit, nondum vero eius exercitium. In priori casu ius quaesitum dicitur *ius præfens*; in posteriori vero *ius futurum*. Plura eaque egregia de iure futuro dabit PHILOSOPHVS in Parte IV. Iur. Nat. §. 945. seqq. & praesertim §. 947. ius futurum aequipollere iuri cuius exercitium suspenditur demonstrat, quae propositio omnem, quam habere potest, lucem affundit iuris futuri notioni.

- a) Vid. §. 102. *Part. 3. Iur. Naturae*: operis illius, quo Sol nunquam vidit illustrius.

## §. III.

*Imperatoris  
Rom. & Im-*

*Imperator Romanorum* appellatur Imperans Imperii Rom. Germ. per electionem constitutus, qui corona imperiali



riali Romana est coronatus. *Imperator Romanorum elector* vero dicitur, præfens Imperans Imperii Rom. Germ. Rom. electi per electionem constitutus, qui corona Germanica iam est definitio. coronatus, nondum vero imperiali Romana.

§. IV.

*Rex Romanorum* appellatur 1) Imperans Imperii Rom. *Tituli R. R. varii significatus explicantur.* Germ. per electionem constitutus, qui corona imperiali Romana nondum coronatus; 2) futurus Imperans Imperii Rom. Germ. per electionem constitutus.

Alii quadruplicem significatum huic vocabulo tribuunt. *Variis tituli Regis Romanorum*, ait B. HOFFMANNVS, <sup>a)</sup> in *Sacro Romano Imperio* fuit usus. Primo: *Ipsi imperantes promiscue olim Regum & Imperatorum axiomate utebantur.* Secundo: *propria hæc appellatio fuit Regibus, qui nondum coronam imperialem romanam susceperant, qua tandem impetrata, Regium cum Imperatorio nomine commutabant.* Tertio: *solemne nostris temporibus est, ut Reges Germanie electi elogio Romanorum Regum contenti, peracta coronationis solennitate Imperatorum Electorum insignia adsciscant.* Quarto: *Is denique Romanorum Rex audit, qui viuo Imperatore futurus in Imperio successor eligitur.* Cum HOFFMANNO consentit Illustr. MOSERVS quoad significatum numerum, quamvis quoad rem ipsam quodammodo ab illo dissentire videatur. Ait enim: *Der Name eines Römischen Königes kommt in denen Historien und actis publicis in viererley Verstande für. Einmal aber selten findet man daß, (wann anderst die Urkunden richtig seynd und in dem Abschreiben kein Fehler begangen worden) die nicht nur regierende, sondern auch von dem Pabst gekröntn Kayser sich doch noch zuweilen Römische Könige geschrieben haben. 2) Bedeutet es einen wirklich regierenden, aber von dem Pabst noch nicht gekröntn teutschen Regenten. 3) Wird dadur. b ein neuerwählter in Teutschland noch nicht gekrönter Kayser gemeint. 4) Bedeutet es einen dem noch lebenden Römischen Kayser zum Regierungs-Nachfolger bestimmten Prinzen b). Rectius quidem Illustr. MOSERVS primum significatum desumit a confusione tituli Imperatoris & Regis Romanorum, quam HOFFMANNVS a confusione tituli Regis in gene-*



genere, cum titulo Imperatoris; nunquam tamen, quod pace Dautmairorum de iurisprudencia publica optime meritorum dixerim, admittere possum, vel ex hac, vel ex illa titulorum confusione peculiarem tituli Regis Romanorum significatum formari posse. Ex vno alteroque enim exemplo significatus, qui plane repugnat consuetudo & recepto curiae stylo, probari nequit; prout multo minus promissus tituli Regis in genere & Imperatoris usus, varium tituli Regis Romanorum usum euincere potest. Rectius vero e contrario HOFFMANNVS quoad significatum, qui illi secundus est, inter Imperantem praesentem & futurum non distinguit; quam Illustr. MOSERVS, qui hunc significatum ad Imperantes praesentes (*Wirklich regierende teutsche Regenten*) restringit. Nam & Imperantes futuros in hoc significato titulo hoc usus esse, ex actis publicis satis constat. Quoad tertium significatum consentiunt Ill. MOSERVS & HOFFMANNVS, ego vero iterum dissentire cogor. Quod enim hodie electi Reges Germaniae titulo Regis Romanorum contenti sint ante susceptam coronationem Germanicam, non tam euincit praeter significatus duos, quos ego tantum admitto, plures dari, quam potius ex eo probari potest, significatum qui mihi primus est, secundum quem Rex Romanorum dicitur Imperans Imperii Rom. Germ. qui coronam imperialem nondum suscepit, quodammodo adhuc hodie in usu esse. Quoad quartum significatum, qui mihi secundus est, hoc tantum moneo, quod ad vitam Imperatoris minus recte restringatur, prout infra (not. ad §. 33.) patebit. Quae cum ita sint, non nisi duplicem tituli Regis Romanorum significatum admittere possum c).

- a) In Commentatione iuris publici: *de Rege Romanorum viuente Imperatore electo*. cap. 1. §. 1.  
 b) *Teutsches Staats-Recht* Part. 7. Lib. 2. cap. 137. §. 3.  
 c) VITRIARIUS *Inst. iur. Publ.* Lib. 1. Tit. 10. Ill. de GVNDERODE in *der Abhandlung des teutschen Staats-Rechts* Lib. 3. cap. 12. §. 1. & 3. V. C. NECKER in *dem Unterrichte in dem Staats-Recht* P. 2. Lib. 3. Cap. 4. §. 1.

## §. V.

Origo & vario tituli est cum illa hypothese: Imperantem imperii Rom. German. tum demum Imperatorem Romanorum appellari posse, si corona imperiali iam coronatus; non vero significatus potest fieri.



*sterior. Ratio recepti huius tituli autem a coniunctione Imperii Romani cum Regno Germanico est repetenda. Constat olim Germanorum animos occupasse hypothefin: Imperantem Imperii Rom. Germ. tum demum Imperatorem Romanorum appellari posse, si corona imperiali iam coronatus. Iam vero prior tituli Regis Romanorum significatus est hic: quod sit imperans Imperii Rom. Germ. qui corona imperiali nondum est coronatus (§. 4.), quem significatum titulo cuidam Imperantis Imperii Rom. Germ. tributum esse, ex modo adducta hypothefi intelligi potest. Continet itaque hæc hypothefis rationem prioris significatus tituli Regis Romanorum (§. 56. *Ontol.*), sicque prior significatus tituli Regis Romanorum cum hypothefi illa est connexus (§. 10. *Cosmolog.*). *Quod erat primum.**

Cum vero hæc omnia quoad significatum posteriorem secus se habeant (§. 4.); nec ille cum hypothefi illa est connexus. *Quod erat secundum.*

Facta Imperii Romani cum Regno Germanico coniunctione, qui erat Imperans Regni Germanici etiam Imperans Imperii Romani erat. Cum vero Imperans Imperii Romani Imperatoris titulo uteretur, facta coniunctione Imperantes non amplius titulo Regis erant contenti, sed potius titulum Imperatoris Romanorum adsumebant, quamvis non simpliciter omnes, sed illi tantum qui corona imperiali iam erant coronati, propter dictam hypothefin. Qui vero imperiali diademate nondum erant ornat, erant quidem titulo Regis contenti, sed tamen cum addito: Romanorum. Hæc vox enim, quæ pars erat novi tituli, titulo Regis addi poterat, salva dicta hypothefi. Cum itaque ex coniunctione Regni Germanici cum Imperio Rom. intelligi possit, cur titulus: Rex Romanor. receptus sit, ab illa rationem recepti tituli Regis Romanor. referendam esse patet (§. 56. *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

B

Quis





Quis primum titulo Regis Romanorum usus sit? inter Dd. valde controuersum est. Tempore HENRICI III. usu receptum esse hunc titulum, contendit LEVCKFELD. a). Ab HENRICO V. usum perpetuum & constantem huius tituli deriuandum esse, censet HOFFMANNVS b). Alii cum demum FRIDERICI temporibus in obseruantiam deductum esse affirmant c). Hoc certum est, demum post OTTONIS I. tempora titulum hunc inualuisse, quoniam prior significatus connexus est cum hypothesi, quam demum post factam coniunctionem Regni Germanici cum Imperio Romano natam esse, necesse est, & recepti huius tituli ratio ab illa coniunctione est repetenda, quae facta sub OTTONE I. d). Non quidem me fugit SCHILTERVM e) iam temporibus Carolingicis hunc titulum in usu fuisse, defendere, sed falsam esse formulam, qua SCHILTERVS inducitur, vt hoc statuerit, satis probauit WERLHOFF f). Solent etiam Iuris Publici Dd. disquirere: vtrum vel Regis Romanorum, vel Regis Romani, vel Regis Germanorum, melior appellatio sit? g). Sed ex ratione recepti huius tituli patet, Regis Romanorum adpellationem satis commodam esse, & sufficit usu esse receptam. Si porro quaeritur: quo tempore posterior huius tituli significatus inualerit? itidem modo demonstrata propositio suggerit responsonem. Cum enim posterior significatus, cum hypothesi: Imperantem Imperii Rom-Germ. tum demum Imperatorem Romanorum posse appellari, si corona imperiali iam coronatus, non connexus, eo tempore, quo haec hypothesi, quae animos Germanorum occupauerat, eos iterum deseruit, hic significatus natus. Ex his iam satis patebit quam foecunda sit modo demonstrata propositio, vt plura addi non opus sit. Qui ad manifestandum in Italos & Romanos potestatem, titulo Regis vocem Romanorum adiunctam fuisse putant h), non tam alieni sunt a mea sententia; quod facile ostendere possem, nisi breuitatis studium a me exigeret, vt ad alia properem. Hoc vnicum tantum addo, me in sequentibus in posteriori significato hoc termino vti.

a) In *Antiqq. Praemonstrat.* ad Monaster. *Gratia Dei* §. XIV.

b) loc. cit. not. \*\*.

c) HERTIVS de *Diplomatibus Germaniae Imperatorum & Regum* Sect. II. Cap. I. in notis p. 16. WERLHOFF *Iuris publ. enucl.* Cap. II.

d) Vid. *Perillust.* Dn. de CRAMER Progr. in quo *coniunctio Romani Imperii cum Regno Germanico sub OTTONE I.* contra dissentientes vindicatur.

e) *Institut. Iur. publ.* Tom. II. tit. 3.



f) l. c. §. 6. p. 9.

g) LIMNAEVS *Iur. publ.* Lib. II. Cap. 15. n. 19. WAGENSEIL *de Rege Romanor.* §. 12. LYNCKER *de Rege Romanor.* §. 5. WEIDLING *de Iure Maiestatis Regis Romanorum* §. 19.

h) Veluti HOFFMANNVS l. c.

§. VI.

*Quaestio An?* dicitur, qua quaeritur, vtrum agendum vel non agendum; *Quaestio Quomodo?* vero dicitur, qua quaeritur de modo agendi. *Quaestio an & quomodo, quid sint.*

Ad has duas classes, quaestiones, de quibus decidendis consultationes publicae instituuntur, commode reduci possunt. Sic, si de bello deliberandum, variae oriuntur quaestiones; 1) Vtrum bellum suscipiendum? 2) Qui belli Duces constituendi? 3) Vnde sumtus belli defumendi? 4) Quis modus in belli declaratione sit obseruandus? & quae sunt aliae. Ex his quaestionibus, prima est quaestio An? secunda, tertia & quarta vero, ad quaestionem Quomodo? pertinent. Pro hac quaestionum dineritate etiam vota ipsa differunt, & quae feruntur circa quaestionem An? *theoretica*, quae vero feruntur circa quaestionem Quomodo? *practica* audiunt a), quae suffragiorum diuisio vsum praestat amplissimum.

a) Vid. Icti rationalis Perill. Dn. ab ICKSTATT *diss. de eo quod iure publico vniuersali & particulari Imperii Romano-Germanici circa conclusa communia, ex maiori suffragiorum numero formanda, iuris est.* Cap. 1. §. 30.

§. VII.

*Quoties itaque certum est agendum esse, sola quaestio & quando Quomodo? moueri potest: quoties vero incertum est, vtrum locum habet agendum, vel non agendum, toties tam quaestio An? quam in genere Quomodo? moueri possunt.*

§. VIII.

*Quaestio An? in electione Regis Romanorum dicitur, qua quaeritur, vtrum Rex Romanorum eligendus sit, vel non. Quaestio Quomodo? vero in electione Regis Romano R. R. quid vtrum sint.*



*rum* dicitur, qua quaeritur de modo, quo electio Regis Romanorum peragenda.

Inter quaestiones, ad quaestionem Quomodo? in electione Regis Romanorum pertinentes, praecipua est, qua quaeritur, quis sit eligendus?

## §. IX.

*an separari  
possint,*

Cum, utrum Rex Romanorum eligendus sit, vel non, determinari possit, nondum determinato modo, quo electio est peragenda, *in electione Regis Romanorum quaestio An? a quaestione Quomodo? separari potest; hincque a iure decidendi unam, non valet consequentia ad ius decidendi alteram (§. 8.).*

Dissentit, quod miror, TITIVS in re tam manifesta. *Inter quaestionem An & quis? tanta est connexio, inquit, ut, ei, qui posteriore decidere potest, prioris decisio non recte negetur, an enim electio utilis & necessaria sit nec ne, eius aestimatio ex consideratione subiecti eligendi pendet, hinc qui de hoc iudicat, ei quoque prioris arbitrium erit asserendum a).* Falsum est, quod TITIVS hic supponit, ex consideratione subiecti eligendi pendere an electio utilis & necessaria sit, nec ne, prout quilibet statim videt. Hoc interim TITIO largior, quod nonnunquam in casibus particularibus quaestio An? facilius resolui possit, si eidem, cui competit ius decidendi quaestionem Quomodo? etiam competit ius decidendi quaestionem An?

a) Spec. Iur. Publ. Lib. V. Cap. 8. §. 9.

## §. X.

*quidque, si  
separare, iu-  
stum sit?*

*Si in electione Regis Romanorum uni datur ius decidendi quaestionem An? alteri vero ius decidendi quaestionem Quomodo? exercitium iuris, quod huic competit, dependet quidem a voluntate illius, huius ius vero ideo non tollitur. Quamvis enim per se non implicet, quo minus quaestio Quomodo? in electione Regis Romanorum decidi possit, nondum decisa quaestione An? si nimirum haec per hypothesein pro*



pro affirmatiue decisa adsumitur, cum effectu tamen quaestio Quomodo? decidi nequit, nisi antea quaestio An? sit affirmatiue decisa (§. 8.). Cum itaque, qui habet ius decidendi quaestionem An? illam vel affirmatiue, vel negatiue decidere possit (§. 6.); quod, si vni competit ius quaestionem An? alteri vero quaestionem Quomodo? in Regis Romanorum electione decidendi, iuris, quod huic competit, exercitium a voluntate illius dependeat, patet. *Quod erat vnum.*

Quoniam vero si quaestio An? affirmatiue deceditur, facta licet quaestionum An? & Quomodo? in electione Regis Romanorum separatione, tamen ius determinandi modum, quo electio Regis Romanorum peragenda, illi competere debeat, qui habet ius decidendi quaestionem Quomodo? in electione Regis Romanorum (§. 8.); facta licet distinctarum quaestionum separatione in Regis Romanorum electione, tamen ius eius, cui competit decisio quaestionis Quomodo? non tollitur. *Quod erat alterum.*

Limitatur potius, quam quod tollatur, ius eius, eni in dicta diuisione ius quaestionem Quomodo? decidendi assignatur. Inter iuris limitationem vero, & eius omnimodam sublationem palpabilis satis est differentia. Nihilo tamen fecius haec non attendit TITIVS, qui l. c. §. X. per separationem quaestionum An? & Quomodo? ius eius, qui quaestionem Quomodo? decidendam habet, tolli, ex eo fundamento existimat, quoniam casus decidendus semper subtrahi possit ab eo, qui quaestionem An? decidendi ius habet. Et sic alterum quoque TITII argumentum, quo contra separationem quaestionum An? & Quomodo? in electione Regis Romanorum pugnat, est infirmatum. Vid. not. ad §. 9.

§. XI.

*Deliberare super quaestione An? in electione Regis Romanorum* dicitur, qui inquirat an quaestio haec affirmatiue, an vero negatiue sit decidenda.

*Super quaestione An? in electione R. R. deliberare*

B 3

§. XII.

o.  
gis  
eli.  
on,  
tio  
An?  
de-  
al-  
inter  
po-  
nim  
tione  
ioris  
sup-  
is &  
TI-  
estio  
quae-  
An?  
deci-  
nem  
ndet  
itur.  
Quo-  
non-  
esin-  
pro





## §. XII.

*eam decide-  
re, decerne-  
re, reicere,  
quomodo  
differant?* **Questionem An? in electione Regis Romanorum decernere** dicitur, qui determinat vtrum hæc quæstio affirmatiue, an vero negatiue resoluenda; & qui affirmatiue eam resoluit, **electionem Regis Romanorum decernere**, qui vero negatiue resoluit **eam reicere** dicitur.

## §. XIII.

*Quando de-  
liberatio su-  
per quæst.  
An? in ele-  
ctione R. R.  
pro absoluta  
habenda, in  
genere, &* **Electioe Regis Romanorum decreta vel reiecta, tota deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum est absoluta.** Illa enim decreta quæstio An? affirmatiue, prout, illa reiecta, negatiue est decisa (§. 12.); sicque actus, quo inquirendum, an affirmatiue, an vero negatiue sit decidenda, iam absolutus. Quamobrem cum hic actus inuoluat deliberationem super quæstione An? in electione Regis Romanorum (§. 11.), electione Regis Romanorum decreta, vel reiecta tota deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum est absoluta.

## §. XIV.

*in specie sub  
data quæ-  
dam hypo-  
thesi.* **Si certum est, existente quadam conditione, Regem Romanorum eligendum esse, tota deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum cognitione & decisione quæstionis de existentia conditionis absoluitur: & posito iure electionem Regis Romanorum, existente illa conditione, decernendi, ponitur ius cognoscendi & decidendi an conditio illa existat.** Si enim certum est, existente quadam conditione, Regem Romanorum eligendum esse, vtrum quæstio An? in electione Regis Romanorum affirmatiue decidenda sit, vel non, ab eo solum dependet, an illa conditio existat, vel non. Eo ipso itaque, dum conditionem existere iudicatur, quæstio An? in electione Regis Romanorum affirmatiue decisa; sicque eius electio decreta, prout in casu opposito

re-



reiecta est (§. 12.). At enimvero electione Regis Romanorum decreta, vel reiecta, tota deliberatio super quaestione An? est absoluta (§. 13.): si itaque, conditione quadam existente, Regem Romanorum eligendum esse certum est, ut, tota deliberatio super quaestione An? in electione Regis Romanorum cognitione & decisione quaestionis, an conditio talis existat? absoluitur. *Quod erat unum.*

Cum itaque, per demonstrata, sub data hypothese cognitione & decisione quaestionis de existencia conditionis talis absoluatut tota deliberatio super quaestione An? in electione Regis Romanorum, haec electio aliter reici vel decerni nequit, quam mediante cognitione & decisione quaestionis de existencia conditionis. At enimvero posito iure ad finem, ponitur ius ad media ad finem illum obtinendum necessaria; Ergo posito iure electionem Regis Romanorum, existente quadam conditione, decernendi, ponitur ius cognoscendi & decidendi an talis conditio existat. *Quod erat alterum.*

§. XV.

*Si Imperator eligendus, sola quaestio Quomodo? si vero Rex Romanorum eligendus, tam quaestio An? quam Quomodo? locum habent.* Differentia inter electionem Imperatoris & R. R. ratione quaestionis An? Cum secundum formam Imperii nostri, si Imperatore est destitutum, alius in eius locum eligendus; si Imperator deest, alium eligendum esse certum est. Quoties vero certum est agendum, sicque etiam eligendum esse, toties sola quaestio Quomodo? locum habet (§. 7.); si itaque Imperator eligendus, sola quaestio Quomodo? locum habet. *Quod erat unum.*

Cum vero secundum formam Imperii nostri semper futurum eligi Imperantem non requiritur, sed potius electio haec & suscipi & omitti possit; an eligendus sit futurus Imperans, qui Rex Romanorum dicitur (§. 4.), an vero non, incertum est. Quoties vero incertum est utrum agendum, sicque



sicque etiam, an electio Regis Romanorum suscipienda vel omittenda sit, toties tam quæstio An? quam Quomodo? locum habet (§. 7.). Si itaque Rex Romanorum eligendus, tam quæstio An? quam Quomodo? locum habent. *Quod erat alterum.*

Præter hanc differentiam, inter electionem Imperatoris & Regis Romanorum, datur adhuc altera, quæ hæc est, quod in electione Regis Romanorum non, prout in electione Imperatoris, lex, Aurea nimirum Bulla, interpellat pro homine. Inter Imperatorem & Regem Romanorum in genere vero, multæ sunt differentia, ab aliis iam recensitæ <sup>a)</sup>. Præcipua tamen, & ex qua reliquæ fluunt, est hæc, quod Imperator præsens, Rex Romanorum vero futurus Imperans sit. Et hæc sunt generalia illa, quæ de Rege Romanorum, & quæstione An? in eius electione fuerunt præmittenda; vnde iam rem ipsam adgredior. Quamvis vero, si omnia quæ de quæstione An? in electione Regis Romanorum dicenda, exhaustire vellem, non solum cui competat ius quoddam circa hanc quæstionem, definiendum, sed & de modo, quo decisio ipsa facienda, agendum esset: hac vice tamen de priori capite duntaxat sollicitus sum. Hinc de iure Imperatoris, Vicariorum Imperii, Electorum & reliquorum Imperii Statuum circa hanc quæstionem, erit agendum, eo, methodo ita iubente, ordine, vt Caput II. ius Electorum & reliquorum Imperii Statuum, Caput III. ius Vicariorum Imperii, & tandem Caput IV. ius Imperatoris, circa illam, determinet. Quod vero, dum hoc ago, actum non agam, ex ipsa tractatione satis apparebit.

a) LYNCKER de Rege Romanor. p. 8. LIMNAEVS ad Capitular. Maximiliani II. art. 28.





## CAPVT SECVNDVM

DE

IVRE ELECTORVM ET RELIQVORVM  
STATVVM IMPERII, CIRCA QVÆSTIONEM  
AN? IN ELECTIONE REGIS ROMANORVM.

## OBSERVATIO I.

**P**ost multorum annorum controuersiam inter Electores & Principes Imperii, de iure circa quæstionem An? in electione Regis Romanorum, Electoribus omne ius circa hanc quæstionem sibi, exclusis reliquis Imperii Status, adferentibus, Principibus Imperii vero, in comitiis de hac quæstione agendum esse, defendentibus: inter deliberationes de perpetuæ capitulationis formula, quoad articulum, in quo de iure circa hanc quæstionem certi aliquid statuendum erat, tandem a. MDCLXXI inter se conuenerunt, tam de certa formula capitulationi perpetuæ, quam de alia futuro recessui Imperii inferenda. Formula capitulationi perpetuæ inferenda, sequentis tenoris erat: *Insonderheit aber soll und will der regierende Römische Kayser die Churfürsten, Ihre Nachkommen und Erben bey ihrer freyen Wahl - Gerechtigkeit, nach Inhalt der Guldernen Bulle, verbleiben lassen, und auch bey seinem Lebzeiten die Wahl eines Römischen Königes, wie es in dem Reichs Abschied* *Historia conuentionis inter Electores & reliquos Imperii Status de a. 1671.*

§. DEMNACH AVCH CHVRFÜRSTEN VND STENDE etc. *absonderlich verglichen und statuiret worden, vorzunehmen gestatten.* Formulam futuri recessus Imperii, quæ ipsam conuentionem continet, infra integram dabo.

Originem & historiam huius controuersie iam recensere nolo. Ut enim taceam, mihi iam otium fecisse HENNIGESIVM a), AV-

C

CTO.



CTOREM des Rätblichen Bedenkens, wozu bey fürgegangener Wahl der Böhmiſchen Königs Joſephi geſamte Stände berechtigt, und wie ſie ſi. b dabey zu bezeugen haben <sup>b</sup>, HOFFMANNVM <sup>c</sup>, & III. MOSERVM <sup>d</sup>, non hic narrandum quid actum ſit, ſed potius ius ipſum demonſtrandum. Nolo itidem recensere & examinare argumenta ipſa, quibus utraque litigantium pars ſuam cauſam defendit. Non ſolum enim V. C. GROENINGIUS <sup>e</sup> argumenta quibus Electores uſi, quidque ad ea repoſuerint Principes, iam ſumma induſtria collegit; ſed & non de eo ſollicitus ſum, quid olim in hac controuerſia iuſtum fuerit, cum potius, quid hodie, poſtquam transactione ſopita, iuſtum ſit, indagandum. Ceterum de veritate huius obſervationis conſtabit per ea, quae modo laudati auctores, qui originem & hitoriam huius controuerſiae recentent, ex actis publicis annotarunt. Conferri etiam merentur de hitoria huius controuerſiae, ſcripta recentiffima de electione Regis Romanorum. <sup>f</sup>)

a) *Meditar. ad Inſtr. Pacis Spec. VII. p. 953.-966.*

b) *Ap. LONDORPVM Act. Publ. Tom. XVII. p. 16. ſeqq.*

c) *l. c. Cap. I. §. 8.*

d) *l. c. & in not. ad Capitulat. Noviff. art. III. §. 11.*

e) *In Diſſ. de iure eligendi Regem Romanorum, quae eius Bibliothecae uniuerſali inſerta.*

f) *Veluti, Gründliche Abhandlung von der Beſchaffenheit der Roemiſch. Königs-Wahl an ſich ſelbſten, nach Vorſchrift der Reichs-Geſchichte und Geſetzen §. 3.-19. & ea quae inſerta ſunt collectioni, quae a. 1751. prodiit ſub titulo: Sammlung unterſchiedlicher theils gedruckter, theils ungedruckter Schrifften, welche in dieſem Jahr zum Vorſchein gekommen ſind, die Roemiſche Königs-Wahl betreffend.*

## §. XVI.

*Quatenus ea obliget.* **Conuentio Electorum & Principum Imperii de anno MDCLXXI. obligat quidem, ſed non niſi ſub conditione, ſi totum negotium capitulationis perpetuae fuerit abſolutum.** Dum Electores & Principes Imperii anno 1671. per conuentionem ius dubium circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum determinarunt (*Obſeruat. I.*), inter ſe conueniſſe, vt ambo ſibi inuicem ad quid praestandum obligentur, qui-



quilibet statim admittit. At enim vero qui inter se conveniunt, ut ambo sibi inuicem ad quid præstandum obligentur, ambo sibi inuicem quid præstare promittunt (§. 703. Part. III. Iur. nat.), & conventiones, quamuis per se non obligent (§. 701. l. c.), obligant tamen quatenus promissionem continent (§. 702. l. c.); obligat itaque quidem Electorum & Principum conventio de anno 1671. sed, cum per hanc conventionem articulus quidem proiecti capitulationis perpetuæ formatus (*Observatio I.*); sicque vnicus punctus in hoc negotio per illam determinatus: qui vero totum quoddam negotium mutua conventionione determinare volunt, ad præstandum id, quod quoad vnicum punctum mutua conventionione promissum, non sunt obligati, nisi totum illud negotium fuerit absolutum, non nisi sub conditione, si totum negotium capitulationis perpetuæ fuerit absolutum.

§. XVII.

*Electores & Principes sibi inuicem ad præstandum id, Idem vltiori de quo anno MDCLXXI. conuenerunt, nec vi legis, nec vi<sup>us</sup> expenditur. pacti sunt obligati.* Cum conventio duorum collegiorum Imperii inter se nondum lex Imperii sit, talis vero conventio sit illa de a. 1671. (*Observ. I.*); quod Electores & Principes vi legis non obligati sint ad præstandum sibi inuicem id, de quo a. 1671. inter se conuenerunt, patet. *Quod erat vnum.*

Quamuis vero huic conventioni obligatio insit (§. 16.), & conventio, cui inest obligatio, pactum sit (§. 788 Part. III. Iur. nat.); nihilo tamen fecius, quoniam obligatio est conditionata, a conditione, si totum negotium capitulationis perpetuæ fuerit absolutum, quæ nondum existit, suspensa (§. 16.), & promissores promissionem conditionatam non ante adimplere tenentur, quam certum sit, conditionem poni (§. 468. Part. III. Iur. nat.); nec vi pacti Electores & Principes Imperii obligati sunt sibi inuicem ad præstandum id,



de quo anno 1671. inter se conuenerunt. *Quod erat alterum.*

Recte itaque AVCTOR des Rätblichen Bedenkens &c. ap. LONDORPIVM, cuius iam supra (not. ad Obseru. I.) mentionem iniecti, vtrumque defendit. Postquam enim duas quaestiones: 1) *ob an der Euentual-Vergleichung entweder die Reichs-Stände insgemein vi legis, und Gesetz-weise, oder zum wenigsten die mehrere weltliche Fürsten, vi pacti, und Vergleichs-weise, dergestalt verbunden, dass es allerdings dabey sein ungeändertes Verbleiben haben müssen?* 2) *Was dadurch denen Herren Chur-Fürsten eingeräumet, und was denen gesamten Ständen vorbehalten sey?* a se inuicem separauit, ad primam respondens pergit: *Und wann dann bey der ersten Frage in Specie die Obligatio legalis, und ob die Stände Gesetz-weise an obige Vergleichung verbunden, in consideration gezogen, da beneben aus dem Instrumento pacis, quod de electione Regis Romanorum in comitiis ex communi Statuum consensu agi & statui debeat, hieher erholet, sodann auf den bekannten Reichs-Stylum, und die zu einer bindigen Reichs-Satzung erforderte requisita reflectiret wird; so wird wohl die Antwort, auch aus derer Herren Chur-Fürsten selbst eigenen Munde, nicht anders als auf die negatiuam ausfallen können.* Debile quidem est argumentum, quod ex Instrumento pacis desumptum, quoniam in illo haec controuersia non decisa, sed potius eius decisio ad comitia remissa; fortissimum autem est argumentum, quod a defectu requisitorum ad conclusum imperiale necessarium desumptum. Leuissima vero est SCHILTERI <sup>a)</sup> ad hoc fortissimum argumentum responsio: *Lexconcepta non mutanda sine omnium consensu.* Ergo habere vim suam etiam ante publicationem inter ipsos. Plura enim hic desunt, quam sola publicatio. Quod autem nec vi pacti Electores & Principes sibi inuicem obligati sint ad praestandum id, de quo a. 1671. inter se conuenerunt, nequitiam, vi existimat SCHILTERVS l. c. inde probare voluit AVCTOR des Rätblichen Bedenkens: *Weil die Electores selbst nicht daran gebunden seyn wollen, sondern als ein Project gehalten, dadurch der Fürsten intention genauer zu erfahen, (vtitur enim etiam hoc argumento ad infringendam auctoritatem legalem) sed ex principio eodem, quo ego vsus sum, quoniam nimirum promissio conditionata est, & conditio nondum impleta. Ast, quid multis? Electores tam, quam Principes ipsi fa-*  
*ctis*



ctis satis declararunt, hac conuentione controuersiam minime esse decisam. Principes enim in protestatione occasione electionis IOSEPHI facta, huius conuentionis ne quidem mentionem iniiciunt; prout etiam in Electorum reprotestatione altum de ea est silentium b).

a) *Instit. Iur. Publ. Lib. I. Tit. XVII. §. 4.*

b) Tam Protestationem Principum, quam Electorum Reprotestationem exhibent MVLDERER in fine Appendicis *Capitulationis harmonicae* Lit. E. & G. LONDORP *Actor. Publ. Tom. XVII. p. 40. 41. FFFV-FINGER ad Visirarium L. I. Tit. VII. p. 360.*

OBSERVATIO II.

Anno MDCCXI. conuentio de a. MDCLXXI. renoua-<sup>Historia c. 1.</sup>  
ta, & formula ipsa, iam tum mutuo consensu determinata,<sup>neutionis in-</sup>  
paucis mutatis retenta, quæ, cum huius controuersia finem <sup>ger Electores</sup>  
contineat, hic integra erit inferenda. Est vero sequentis tenoris; <sup>Principes</sup>  
*Denmach auch Chur-Fürsten, Fürsten vnd Stände*  
*nach Anleitung art. VIII. instrumenti pacis, nicht vnterlassen*  
*eines erwählten vnd regierenden Römischen Kayfers zu handeln*  
*vnd zu statuiren: Als haben sich dieselbe communi*  
*consensu mit einander dahin verglichen vnd geschlossen, daß*  
*die Chur-Fürsten nicht leichtlich zur Wahl eines Römischen*  
*Königes, viuente Imperatore zu schreiben, es wäre dann,*  
*daß entweder der erwählte vnd regierende Römische Kayser*  
*sich aus den Reiche begeben, vnd beständig oder allzulang*  
*aufhalten wollte, oder derselbe wegen seines hohen Alters,*  
*oder beständig Unpäßlichkeit, der Regierung nicht mehr*  
*vorstehen könnte, oder sonst eine anderweilige hohe Noth-*  
*durst, daran des H. Römischen Reichs conseruation vnd*  
*Wohlfarth gelegen, erforderte. einen Römischen König noch*  
*bey Lebzeiten des regierenden Kayfers zu erwählen, vnd in*  
*solchen ein vnd andern angeregeten, wie auch erstgedachten*  
*Nothfall solle die Wahl eines Römischen Königs durch die*  
*Chur-Fürsten mit, oder ohne des regierenden Kayfers Consens,*



sens, wann derselbe auf angelegte Bitte, ohne erhebliche Ursache verweigert werden sollte, vorgenommen, und damit der Goldenen Bulle, auch Ihrem, dem H. Römischen Reich tragenden Amt und Pflichten nach, von Ihnen allerdings frey und ungehindert verfahren werden <sup>a)</sup>. Paulo post integra hæc formula, paucis mutatis <sup>b)</sup>, art. III. capitulationis CAROLI VI. est inserta. Ita enim in illa l. c. dispositum: Und nachdem von Chur-Fürsten und Fürsten obnlangstbin zu Regensburg, nach Anleitung art. VIII. instrumenti pacis, von der Wahl eines Römischen Königes, bey Lebzeiten eines erwählten und regierenden Römischen Kayfers gehandelt und verglichen worden, daß die Chur-Fürsten (vt ante vsque ad verba: verfahren werden solle): So sollen und wollen wir, diesen der Chur-Fürsten und Fürsten vnter einander verabfassen Schluß, wie hiermit beschiehet, für genehm, und Uns deme gemäß und conform halten. Idem etiam in artic. III. §. XI. capitulationis nouiss. repetitum, sola voce obnlangstbin omitta.

a) *Illustr. MOSERVS in not. ad Capitulat. nouiss. art. III. cap. XI. §. 7. AUCTOR der Gegenwertigen Verfassung der Kayserl. Regierung in Teuschland, wie solche in Ibro Kayserl. Maiestät Carln des VI. Wahl-Capitulation enthalten p. 225.*

b) *Vid. modo laudata: Gegenwertige Verfassung &c. p. 28.*

## OBSERVATIO III.

*eiusque consinuario.*

Principes Imperii in grauaminibus contra capitulationem CAROLI VI. <sup>a)</sup> ad art. III. in quo Electores fatentur controuersiam de iure circa quæstionem An? in electione Regis Romanorum transactione decisam esse, addita ipsa transactionis formula (*Obseru. II.*), nihil monuerunt; prout etiam in grauaminibus & moniis occasione capitulationis CAROLI VII. & capitulationis nouissimæ oblati, huius rei nulla facta est mentio.

Post



a) ap. FABRUM Staats-Cantzeley Tom. XXVII. p. 140.

b) Vid. Appendix ad Moserianam editionem Capitulat. Caroli VII. p. 37. & Capit. nou. pag. 100.

§. XVIII.

Hodie Status Imperii simpliciter obligati sunt ad praestandum sibi inuicem id, de quo in controuersia de iure circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum anno MDCCXI. denuo inter se conuenerunt. Quatenus conuentio de a. 1711. obligat. Electores conuentionem de anno 1671. qua anno 1711. renouata, nouissimis capitulationibus inferuerunt, eique simpliciter vim transactionis tribuunt (*Obseru. II.*), quod etiam fatentur, tam Principes, silentio suo (*Obseru. III.*), quam reliqui Imperii Status, qui nunquam contradixerunt. Hodie itaque Status Imperii simpliciter obligati sunt ad praestandum sibi inuicem id, de quo in controuersia de iure circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum anno 1711. denuo inter se conuenerunt.

Prima conuentio de a. 1671. obligabat quidem, sed non nisi sub conditione (§. 16.), quae cum nondum existit, nec hodie, quae per illam conuentionem promissa, praestanda essent, nisi conditionalis obligatio, per ea quae hanc conuentionem subsequuta, facta esset pura. Id vero neuiquam effecit renouatio huius conuentionis a. 1711. facta, nam & hac facta tamen obligatio conditionalis manebat, qualis antea erat, quoniam hoc negotium adhuc pars totius negotii capitulationis perpetuae erat. Postquam vero Electores ex proiecto capitulationis perpetuae hunc articulum nouissimis capitulationibus inferuerunt, & reliqui Imperii Status non contradixerunt, eo ipso negotium hoc speciale a toto negotio capitulationis perpetuae separatum, sicque obligatio huius conuentionis, non amplius dependet ab obligatione totius proiecti capitulationis perpetuae. Ceterum adhuc monendum, me cum aliis in sequentibus hanc conuentionem, *constitutionem de eligendo Rege Romanorum*, appellare.

§. XIX.

Ius Statuum Imperii inter se circa quaestionem An? in Idem utriusque electione Regis Romanorum, hodie unica ex constitutione de us expendi- eli-<sup>zur.</sup>



*eligendo Rege Romanorum, quoad ea, de quibus in illa dispositum, est definiendum.* Status Imperii sibi inuicem obligati sunt ad præstandum id, de quo in controuersia de iure circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum inter se a. 1711. iterum conuenerunt (§ 18.); est itaque hæc controuersia inter Status Imperii per illam conuentionem, quam constitutionem de eligendo Rege Romanorum appello (*not. ad §. 18.*), decisa. Quodsi uero controuersia per conuentionem decisa, quantum iuris unicuique competat ex illa conuentione, quoad ea, de quibus in illa dispositum, uicè definiiri debet; est itaque ius Statuum Imperii inter se circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum, quoad ea, de quibus in illa dispositum, definiendum.

Postquam nunc constat, unde ius Statuum Imperii inter se circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum sit definiendum, iam ius ipsum eruendum. Hunc in finem interpretationem constitutionis de eligendo Rege Romanorum adgredior.

## §. XX.

*Ius decernendi electionem cui competat.*

*Electores competit ius priuatiue, exclusis reliquis Statibus Imperii, electionem Regis Romanorum decernendi, sub certis tamen conditionibus.* In constitutione de eligendo Rege Romanorum dispositum: *In solchen ein vnd andern angeregten, wie auch erstgedachten Nothfall, solle die Wahl eines Römischen Königes DURCH DIE CHVR-FÜRSTEN --- vorgenommen, vnd damit der Gülden Bull, auch Ihrem, dem Heil. Römischen Reich tragenden Amt vnd Pflichten nach, von Ihnen allerdings frey vnd vngewindert verfahren werden (Obseru. II.);* Electores itaque per constitutionem de eligendo Rege Romanorum, ius priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, quaestionem An? in electione Regis Romanorum affirmatiue decidendi est concessum. Ex hac constitutione uero ius Statuum Imperii inter se circa quaestionem



tionem An? in electione Regis Romanorum hodie vnice, quoad ea de quibus in ea dispositum, est definiendum (§. 19.); & qui quæstionem An? in electione Regis Romanorum affirmatiue decidit, eius electionem decernere dicitur (§. 12.); competit ergo Electoribus ius priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus electionem Regis Romanorum decernendi. *Quod erat vnum.*

Cum vero in constitutione de eligendo Rege Romanorum non simpliciter dispositum: *daß die Wahl eines Römischen Königes durch die Chur Fürsten vorgenommen werden solle*, sed tantum *in solchen ein und andern angeregten, wie auch erstgedachten Nothfall (Obseru. II.)*; sub certis duntaxat conditionibus, Electoribus competit ius priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem Regis Romanorum decernendi. *Quod erat alterum.*

Decernere electionem Regis Romanorum, & eligere Regem Romanorum, differunt inter se, sit ita, quod vulgo hæc differentia non attendatur. Qui electionem Regis Romanorum decernit, quæstionem An? in electione Regis Romanorum affirmatiue decidit (§. 12.), qui vero Regem Romanorum eligit, ipsam personam eligendam determinat, sicque quæstionem: Quis sit eligendus? quæ continetur sub quæstione Quomodo? in electione Regis Romanorum (*not. ad §. 8.*), resoluit. Cum vero ius Electorum priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, quæstionem Quomodo? decidendi nunquam in dubium vocatum, sed potius de iure circa quæstionem An? controuersia mota (*Obseru. I.*); inter ius eligendi Regem Romanorum, & ius eius electionem decernendi, omnino distinguendum est.

§. XXI.

*Electores sub tribus sequentibus conditionibus: 1) Wenn & quomodo der Kayser sich aus dem Reiche begeben und a) beständig oder competat. b) allzulange aufhalten wolte; 2) Wenn der Kayser a wegen seines hohen Alters, oder b) wegen beständiger Unpäßlich-*

D



lichkeit der Regierung nicht mehr vorstehen könnte; 3) Wenn sonst eine anderwärtige hohe Nothdurft, daran des Heil. Röm. Reichs conseruation und Wohlfarth gelegen, erforderliche, einen Römischen König noch bey Lebzeiten des regierenden Kaisers zu erwählen, ius habent priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem Regis Romanorum decernendi. Sub certis conditionibus Electoribus competere ius priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem decernendi, modo vidimus (§. 20.). Quod vero conditiones in ipsa propositione expressæ, sint illæ, sub quibus hoc ius Electoribus concessum, ex ipsa constitutione de eligendo Rege Romanorum (Obseru. II.) patet.

## §. XXII.

*De conditione, sub quibus Electoribus ius decernendi electionem R. R. competit, indole.*

*Conditio tertia: Wenn sonst eine anderwärtige hohe Nothdurft &c. est conditio generalis.* Variis modis possibile esse existere talem Imperii nostri statum, quo posito salus eius electionem Regis Romanorum postulat, nemo dubitat. Variis itaque modis possibile est existere conditionem tertiam: *Wenn sonst eine anderwärtige hohe Nothdurft &c.* Quamobrem, cum conditio, quam variis modis existere possibile est, conditio generalis sit; conditio tertia: *Wenn sonst eine anderwärtige hohe Nothdurft &c.* generalis conditio est.

Prima & secunda conditio sunt conditiones speciales, quoniam non nisi vno modo illas existere possibile est. Vtraque conditio vero præterea duplici modo est restricta, vt itaque hae duæ conditiones virtualiter quatuor contineant. Prima enim non statim, si Imperator abest, sed potius tum demum, si ita abest, vt aut semper, aut nimis diu, abesse velit, existit. Sic & secunda non statim, si Imperator regimini præesse nequit, sed tum demum si illi præesse nequit, vel propter nimis præcælam ætatem, vel propter morbum perpetuum, existit. Ad specilliora iam descendere non licet, cum quando in specie vna vel altera harum conditionum, & præsertim quando generalis illa existat, ne quidem in theoria iuris publici S.R.I., sed potius in sublimiori theoria doctrinae de ratione status S.R.I. sit determinandum.

## §. XXIII.



§. XXIII.

Si una vel altera conditionum, sub quibus Electoribus <sup>Quando certum sit R. R. eligendum</sup> ius competit, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem <sup>eligendum esse</sup> Regis Romanorum decernendi, existit; Regem Romanorum esse eligendum esse certum est. Dum Status Imperii inter se conuenerunt, Electoribus, reliquis Imperii Statibus exclusis, tribuendum esse ius decernendi electionem Regis Romanorum sub certis quibusdam conditionibus (§. 20.), eo ipso constituerunt, una vel altera earum existente Regem Romanorum esse eligendum. Si itaque una vel altera earum existit, Regem Romanorum eligendum esse certum est.

Hinc eleganter in ipsa constitutione de eligendo Rege Romanorum, determinatio casuum, in quibus Regem Romanorum eligendum esse constituitur, a translatione iuris in Electores, uno vel altero eorum existente, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem Regis Romanorum decernendi, separatur. Praemittitur casuum determinatio, verbis: *Es wäre denn das entweder etc.* sequitur iuris translatio, verbis: *in solchen ein und andern etc.*

§. XXIV.

Si dubium est, an una vel altera conditionum, in con- <sup>Cuius competit ius decernendi electionem R. R.</sup> stitutione de eligendo R. R. expressarum, existat, vel non, <sup>si dubium est, an una vel altera conditionum existat;</sup> Electorum est, exclusis reliquis Imperii Statibus, iudicare an una vel altera earum existat, vel non. Si enim certum est, conditione quadam existente, Regem Romanorum eligendum esse, posito iure, conditione illa existente electionem Regis Romanorum decernendi, ponitur ius, an illa conditio existat, diiudicandi (§. 14.). At enimvero, si una vel altera conditionum, sub quibus Electoribus ius competit electionem Regis Romanorum decernendi, existit, Regem Romanorum eligendum esse certum est (§. 23.), & Electoribus competit ius, una vel altera harum conditionum existente, electionem Regis Romanorum, exclusis reliquis



Imperii Statibus, decernendi (§. 20.). Ergo Electorum est, sub data hypothesi, exclusis reliquis Imperii Statibus, iudicare, an vna vel altera conditionum, sub quibus ius habent electionem Regis Romanorum decernendi, existat.

§. XXV.

Cum vero quicquid in genere de his conditionibus valet, etiam de illa generali: *Wenn die hohe Nothdurft &c.* (§. 22.) valere debeat: *Electorum etiam est iudicare an conditio illa generalis: Wenn die hohe Nothdurfft &c. existat, exclusis reliquis Imperii Statibus.*

Contrariam sententiam, in comitiis nimirum diiudicandum & determinandum esse, an conditio generalis existat, defendit *AVCTOR des Rätblichen Bedenkens etc.* hancque suam sententiam speciosissimo argumento corroborat. Quod vero Electorum sit iudicare an conditio illa generalis existat, defendunt *Illustr. MOSERVS a)*, & *SPE-NERVS b)*, nulla tamen addita probatione. Prout itaque haec sententia demonstratione fuit corroboranda, ita enim argumentum, quo laudatus *AVCTOR des Rätblichen Bedenkens etc.* vitur, erit destruendum. Ita autem ille: *Es daneben am hellen Tage lieget, daß die Diiudicatio vnd Determinatio des General- Nothfalls anders nichts sey, als interpretatio legis, in welchen von solchen General- Nothfall disponiret ist; so folget aus der connexitate iuris ferendi & interpretandi leges comitiales von selbst, daß gleichwie in allen übrigen Fällen, da über Auslegung oder Application der Reichs- Abschiede zu urtheilen ist, man zu keiner gültigen Decision anderst als vermitteltst gemeiner Vergleichung Ihrer Kayserlichen Majestät mit den gesamen Reichs- Collegiis gelangen könne; also auch alhier, wann die Frage fürgestellt, ob die in dem proiectirten Articulo des künfftigen Reichs- Abschiedes bedeutete vnd erforderete Reichs- Nothdurft erbeischet, daß bey Lebzeiten des regierenden Kayfers ein Römischer König erwehlet werde? darüber dem Churfürstlichen Collegio mit Ausschließung der übrigen Stände nicht zustebe, einen decisiven Ausspruch zu halten, vnd sonder vorgängige Erörterung dieser praeliminar- vnd praecudicial- Frage zur Wahl eines Römischen Königes würklich zu schreiten.* Magnam, fateor, speciem habent, quae pro defendenda

con-



contraria sententia, acutissimus ORRECHTVS, quem auctorem huius consilii esse plerique existimant, profert. Sed notandum hic, per ipsam constitutionem de eligendo Rege Romanorum, Electoribus ius illam quoad hunc passum priuatiue, exclusis reliquis Imperii statibus, interpretandi, concessum esse. Diudicatio enim, an generalis conditio existat, vi constitutionis de eligendo Rege Romanorum competit Electoribus priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus; hæc diudicatio vero inuoluit interpretationem; hinc simul ius interpretandi Electoribus concessum.

a) *Teursches Staats-Recht* P.VII. Lib. 2. Cap. 137. §. 121.

b) *Iur. publ.* L.IV. Cap. X. §. IV. not. g.

§. XXVI.

*Si certum est, vnã vel alteram conditionum, sub quibus Electoribus in constitutione de eligendo Rege Romanorum concessum, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem Regis Romanorum decernendi, existere: Electores priuatiue exclusis reliquis Imperii Statibus, reuicere non possunt electionem Regis Romanorum.* Si vna vel altera harum conditionum existit, electionem decernendam esse certum est; quoniam in ipsa constitutione de eligendo Rege Romanorum Electores cum reliquis Imperii Statibus, electionem vna vel altera harum conditionum existente, decernendam esse, constituerunt (§. 23.). Dum itaque in Electores translatum ius exclusis reliquis Imperii Statibus, vna vel altera harum conditionum existente, electionem decernendi (§. 20.); pars officii eorum esse cœpit, vt, conditione vna vel altera existente, electionem decernant. Quamobrem cum Electores, si, vna vel altera dictarum conditionum existente, electionem Regis Romanorum priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, reuicerent, contra officium agerent; reuicere non possunt reliquis Imperii Statibus exclusis, vel quod idem est, sine eorum consensu, Regis Romanorum electionem, si vna vel altera conditionum, sub quibus habent ius, exclusis reliquis Imperii Statibus, electionem Regis Romanorum decernendi, existit.

D 3

§. XXVII.





## §. XXVII.

3) si certum  
est, nullam  
earum existi-  
tere.

*Si certum est, nullam conditionum, sub quibus Electo-  
ribus competit ius, exclusis reliquis Imperii Statibus, ele-  
ctionem Regis Romanorum decernendi, existere. Electores  
electionem Regis Romanorum priuatiue, exclusis reliquis  
Imperii Statibus, decernere nequeunt, reuicere vero illam  
possunt.* Quod in constitutione de eligendo Rege Romano-  
rum ius decernendi electionem Regis Romanorum determi-  
natum sit, ex ipsa constitutione satis patet (*Obseru. II.*).  
Cum itaque, quoad ea, de quibus in dicta constitutione di-  
spositum, ius Statuum Imperii inter se circa quaestionem An?  
in electione Regis Romanorum vnice ex illa definiendum sit  
(§. 19.); & ad ius circa quaestionem An? in electione Regis  
Romanorum pertineat ius electionem Regis Romanorum de-  
cernendi (§. 12.); hoc ius decernendi vero Electoribus, re-  
liquis Imperii Statibus exclusis, non nisi sub certis conditio-  
nibus, in dicta constitutione expressis, concessum sit (§. 20.);  
si nulla earum conditionum existit, Electores electionem Re-  
gis Romanorum priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus,  
decernere nequeunt. *Quod erat vnum.*

Cum vero in dicta constitutione expresse dispositum sit,  
tum demum electionem R. R. esse suscipiendam, si vna alte-  
raue conditionum in ea expressarum existit, indeque mani-  
festo fluat, nulla earum existente, electionem R. R. non esse  
suscipiendam, quod tum Electores ius habeant electionem  
Regis Romanorum priuatiue, exclusis reliquis Imperii Sta-  
tibus, reiiciendi, dubio caret. *Quod erat alterum.*

## §. XXVIII.

Negotii col-  
legii electo-  
ralis defini-  
tio.

*Negotium collegii electoralis dicitur, quod a collegio ele-  
ctorali priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, dependet.*

Trium Imperii collegiorum negotia, aut talia sunt, in quibus om-  
nium Statuum consensus comitalis requiritur, & dicuntur *comitalia*; aut



aut priuatiue ab vno alteroue collegio dependent, & dicuntur *collegialia* <sup>a)</sup>. Collegialium negotiorum species sunt negotia collegii electoralis.

a) Vid. Perill. Dn. ab ICKSTATT Diss. de causis in quibus Status Imperii in partes eunt, a iure suffragiorum maiorum exceptis Cap. II. §. 28. HENNIGES ad Instr. Pacis p. 656.

§. XXIX.

Si dubium est, an vna vel altera conditionum, sub An cognitio quibus Electoribus competit ius electionem Regis Romanorum <sup>& decisio</sup> discernendi, existat, cognitio <sup>quæstionis de</sup> & decisio quæstionis, an vna <sup>existetia</sup> vel altera dictarum conditionum existat, est negotium colle-<sup>conditionum</sup> gii electoralis. Tum enim Electorum est priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, cognoscere & decidere, an vna vel altera harum conditionum existat, vel non (§. 24.). Est itaque hæc cognitio & decisio negotium, quod priuatiue a collegio electorali, exclusis reliquis Imperii Statibus, dependet; hincque negotium collegii electoralis est (§. 28.).

§. XXX.

Deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum est negotium collegii electoralis. Vna vel altera <sup>rio super</sup> conditionum, sub quibus Electoribus ius competit electionem Regis Romanorum discernendi, existente, Regem Romanorum eligendum esse certum est (§. 23.). Si vero certum est, conditione quadam existente, Regem Romanorum eligendum esse, tota deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum absoluitur cognitione & decisione an vna vel altera dictarum conditionum existat (§. 14.). Hæc itaque cum negotium collegii electoralis sit (§. 29.); etiam deliberationem super quæstione An? in electione Regis Romanorum, quæ cum illa simul absoluitur, negotium collegii electoralis esse, necesse est.

§. XXXI.



## §. XXXI.

An eius deci-  
sio, negotium  
collegii ele-  
ctoralis sit?

Decisio quæstionis An? in electione Regis Romanorum, quidem negotium collegii electoralis est, sed non nisi sub hac restrictione, ut tum demum, si vna vel altera conditionum, in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum, existit, electionem decernant, si vero nulla earum existit, eam reiiciant. Electores priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, si vna vel altera conditionum, in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum, existit, electionem Regis Romanorum decernere (§. 20.), & si dictarum conditionum nulla existit, illam reiicere (§. 27.) possunt. Cum itaque, tam qui electionem Regis Romanorum decernit, quam qui illam reiicit, quæstionem An? in electione Regis Romanorum decidat (§. 12.), & quicquid a collegio electoralali priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, dependet, negotium collegii electoralis sit (§. 28.); decisio quæstionis An? in electione Regis Romanorum negotium collegii electoralis est. *Quod erat unum.*

Quoniam vero Electores, si nulla conditionum in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum existit, electionem decernere (§. 20.), & si dictarum conditionum aliqua existit, illam reiicere (§. 27.) nequeunt priuatiue, reliquis Imperii Statibus exclusis, pro lubitu suo priuatiue, reliquis Imperii Statibus exclusis, quæstionem An? in electione Regis Romanorum decidere nequeunt (§. 12.). Simpliciter itaque decisio quæstionis An? in electione Regis Romanorum negotium collegii electoralis non est (§. 28.), sed potius, cum tum demum, si dictarum conditionum aliqua existit, electionem decernere (§. 20.), sique nulla earum existit, eam reiicere (§. 27.), exclusis reliquis Imperii Statibus, possint, sub hac restrictione, ut tum demum, si vna vel altera conditionum in constitutione de eligendo Rege Romano-



manorum expressarum existit, electionem decernant, si vero nulla earum existit, eam reiiciant. *Quod erat alterum.*

§. XXXII.

*Electores insciis, inconsultis & inuitis reliquis Imperii Statibus super quæstione An? in electione Regis Romanorum deliberare, & si vna vel altera conditionum, in constitu-*  
*tionem de eligendo Rege Romanorum expressarum, existit, in-*  
*sciis, inconsultis & inuitis reliquis Imperii Statibus electio-*  
*nem Regis Romanorum decernere, vel earum nulla existen-*  
*te, eam reiicere possunt.* Cum negotia collegii electorali-  
priuatue, exclusis reliquis Imperii Statibus, a collegio electorali dependant (§. 28.), quod Electores negotia sua collegialia insciis, inconsultis & inuitis reliquis Imperii Statibus expedire possint, omni caret dubio. Quamobrem, cum deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum negotium collegii electorali sit (§. 30.), prout etiam ipsa decisio huius quæstionis negotium collegii electorali est, si vna vel altera conditionum in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum existente Electores electionem decernunt, vel, earum nulla existente, eam reiiciunt (§. 31.), Electores insciis, inconsultis & inuitis reliquis Imperii Statibus super quæstione An? in electione Regis Romanorum deliberare, & si vna vel altera conditionum in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum existit, insciis inconsultis & inuitis reliquis Imperii Statibus electionem Regis Romanorum decernere, vel nulla earum existente, eam reiicere possunt.

Electores deliberant & decernunt reliquis Imperii Statibus *insciis* si deliberare velle, vel decreuisse, ad eorum notitiam non perducunt; iis *inconsultis*, si eorum consilium vel non expetunt, vel non attendunt; iis *inuitis*, si eorum contradictionem negligunt. Haec tria itaque satis a se inuicem differunt.

E

§. XXXIII.



## §. XXXIII.

*Et simul cum  
Imperatore  
R. R. immo  
duos R. R. si  
mul eligere  
possint?*

*Si salus Imperii ita exigit, Electores simul cum Imperatore Regem Romanorum eligere, vel etiam duos Reges Romanorum simul ita eligere possunt, ut vnus post alterum in Imperatorem promoueatur.* Si salus Imperii exigit Regem Romanorum eligi, Electores eius electionem decernere possunt (§. 20. 21.), hancque electionem tum ita decernendam esse, prout eam decerni salus Imperii exigit, per se patet. Cum itaque possibile sit salutem Imperii exigere, eo tempore, quo Imperator eligitur, simul Regem Romanorum eligi, vel etiam duos Reges Romanorum simul ita eligi, ut vnus post alterum in Imperatorem promoueatur; Electores, si salus Imperii ita exigat, Imperatorem & Regem Romanorum simul, vel etiam duos Reges Romanorum simul, ita ut vnus post alterum in Imperatorem promoueatur, eligere possunt.

Quod quaestio: An Rex Romanorum eligi possit, si Rex imperans nondum Caesarea corona redimitus fuerit? olim magnis motibus agitata, hodie otiosis adnumeranda sit; quodque simultaneae praesentis & futuri Imperantis electioni non obstet, praesentem Imperantem quamdiu in Germania nondum coronatus est, Imperatoris titulo nondum uti, sed potius titulo Regis Romanorum contentum esse, per se patet. Ex modo demonstrata propositione vero statim apparet, falsissimam esse vulgarem Regis Romanorum definitionem, quod sit successor in Imperio, qui viuo Imperatore electus. Etenim & is successor, qui mortuo Imperatore electus, modo sit successor futurus, est Rex Romanorum. Eligi vero posse futurum successorem mortuo Imperatore demonstratum est, cum, si simul cum Imperatore Rex Romanorum eligitur, Regis Romanorum electio fiat mortuo Imperatore. Sed & ideo haec determinatio, quod Rex Romanorum *viuente* Imperatore eligendus sit, definitioni non est inferenda, quoniam, si Imperator alio modo, quam per mortem, talis esse desisset, viuo Imperatore electus successor secundum hanc definitionem Rex Romanorum dicendus esset, cum tamen Imperator sit. Ceterum in vernacula Rex Romanorum breuissime ita definiiri potest, quod sit *Ein Thronfolger im Heil. Römischen Reich.*

## §. XXXIV.



§. XXXIV.

Reliqui Imperii Status præter Electores, circa quæstio-  
nem An? in electione Regis Romanorum nullum ius habent, <sup>Ius reliquo-  
rum Statu-  
um Imperii</sup>  
nisi 1) si Electores, nulla conditionum in constitutione de eli-  
gendo Rege Romanorum expressarum existente, electionem de <sup>præter Ele-  
ctores circa  
quæst. An?</sup>  
cernerent, ius contradicendi, & postulandi ut negotium ele-  
ctionis, quoad quæstionem An, ad comitia remittatur. 2) Si <sup>in electione  
R. R. deter-  
minatur.</sup>  
Electores, vna vel altera conditionum manifesto existente, ele-  
ctionem decernere nolent, ius, ut eam decernant, postulan-  
di. Omne ius quod circa quæstionem An? in electione Re-  
gis Romanorum concipi potest, in ius super quæstione illa  
deliberandi, illamque decidendi se resoluit. Est vero delibe-  
ratio super hac quæstione negotium collegii electoralis (§. 30.),  
hinc reliqui Imperii Status, quoad deliberationem super hac  
quæstione, nullum ius circa illam habent (§. 28.). Decisio  
huius quæstionis autem, est etiam quidem negotium collegii  
electoralis, sed tamen non nisi sub hac restrictione, ut Ele-  
ctores, si vna vel altera conditionum in constitutione de eli-  
gendo Rege Romanorum expressarum existit, electionem de-  
cernant, nulla earum vero existente, eam reiiciant (§. 31.).  
Vnde, cum circa negotia collegii electoralis reliquis Imperii  
Statibus nullum ius competat (§. 28.): si Electores, vna vel  
altera dictarum conditionum existente, electionem Regis Ro-  
manorum decernunt, vel, earum nulla existente, eam rei-  
ciunt, reliqui Imperii Status nullum ius circa decisionem  
quæstionis An? in electione Regis Romanorum habent. Sunt  
vero præter hos, duos casus adhuc duo alii possibiles, cum  
feri posset Electores, nulla dictarum conditionum existente,  
decernere, aut, earum vna vel altera existente, non decer-  
nere Regis Romanorum electionem. In priori casu Electo-  
res nullo iure agerent, cum illis non competat ius, nulla di-  
ctarum conditionum existente, electionem Regis Romanorum  
priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, decernendi (§.



27.); hincque reliqui Imperii Status in dicto casu ius haberent contradicendi, &, cum negotia totius Imperii salutem concernentia, quale omnino est Regis Romanorum electio, nisi ad negotia collegialia pertineant, communi Statuum omnium comitali consensu sint definienda (§. *Gaudeant* Instr. Pac.), ius postulandi, vt negotium electionis Regis Romanorum ad comitia remittatur, sed non nisi quoad quæstionem An? cum ideo negotium electionis Regis Romanorum, quoad quæstionem Quomodo? non desinat esse negotium collegii electoralis. In posteriori vero casu Electores non facerent, ad quod faciendum sunt obligati, cum, vna vel altera dictarum conditionum existente, electionem Regis Romanorum decernere debeant (§. 20. 26.), vnde reliqui Imperii Status in hoc casu omnino ius haberent postulandi, vt electionem decernant, modo, cum Electorum fit iudicare, an vna vel altera dictarum conditionum existat (§. 24.), vnã vel alteram earum existere manifestum sit. Quæ cum ita sint, nemo amplius dubitabit de veritate propositionis, quæ demonstranda est.

## §. XXXV.

*Iudicium de limitatione iurium electoralium per const. R. R. facta.* Per constitutionem de eligendo Rege Romanorum, ius Electorum circa quæstionem An? in electione Regis Romanorum, in cuius possessione ante motam controuersiam fuerunt, limitatum quidem est, sed limitatio ipsa valde exigua est. Postquam controuersia de iure circa quæstionem An? in electione Regis Romanorum per constitutionem de eligendo Rege Romanorum composita, deliberatio super illa quidem negotium collegii electoralis est (§. 20.), eius decisio vero non nisi sub certa restrictione (§. 31.). Fuerunt vero ante motam controuersiam Electores in possessione iuris, vi cuius totum negotium electionis Regis Romanorum ad negotia sui collegii pertinebat, prout ex historia satis constat; quod itaque



que per constitutionem de eligendo Rege Romanorum, ius eorum circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum, in cuius possessione ante motam controuersiam fuerunt, limitatum sit, dubio caret. *Quod erat unum.*

Enimvero, cum non nisi ius decidendi quaestionem An? in electione Regis Romanorum limitatum, prout ex parte prima huius demonstrationis patet; sicque tantum pars quaedam iuris circa quaestionem An? limitata: & praeterea limitatio ipsa, prout tam ex ipsa restrictione, sub qua decisio quaestionis An? negotium collegii electoralis est (§. 31.), quam ex iure, quod reliquis Imperii Statibus circa hanc quaestionem competit (§. 36.), apparet, talis sit, vt rarissime casus existere possit, quo reliqui Imperii Status ius circa hanc quaestionem habent; limitationem iuris circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum, in cuius possessione Electores ante motam controuersiam fuerunt, valde exiguam esse, abunde patet. *Quod erat alterum.*

Ex his iam satis patebit, quantum iuris Elektoribus, quantumque iuris reliquis Imperii Statibus circa quaestionem An? in electione Regis Romanorum sit tribuendum; illosque egregie falli, qui nihil iuris circa hanc quaestionem reliquis Imperii Statibus, praeter Electores, superesse existimant.

## CAPVT TERTIVM

DE

## IVRE VICARIORVM IMPERII CIRCA QVÆSTIONEM AN? IN ELECTIONE REGIS ROMANORVM.

§. XXXVI.

*Vicarius regiminis Imperii Rom. Germ. dicitur, vel in interregno, vel Imperatore impedito*

qui Vicarii regiminis I. R. G. definitio. NO.

E 3



nolente, exercitium maiestatis Imperii Romano-Germanici dirigit.

## §. XXXVII.

§ Vicarius Imperii Rom. Germ. dicitur, vicarius regiminis Imperii Rom. Germ. in interregno.

## §. XXXVIII.

§ Vicarius Imperatoris appellatur, vicarius regiminis Imperii Rom. Germ. imperatore impedito, aut nolente.

Quem Vicarium Imperii appello, alii Vicarium ordinarium, alii Vicarium Imperatorem appellant; quemque Vicarium Imperatoris voco, alii Vicarium extraordinarium vocant <sup>a)</sup>. Non desunt tamen, qui quoad utramque appellationem mecum consentiunt <sup>b)</sup>. Differt vero Vicarius Imperii a Vicario Imperatoris non in eo solum, quod ille in interregno, hic vero, Imperatore impedito aut nolente maiestatis Imperii Rom. Germ. exercitium dirigit: sed & in eo differunt, quod ille proprio, hic vero alieno, Imperatoris nimirum, nomine ius suum exerceat. Hinc recte iam observavit B. Cancellarius de LVDEWIG <sup>c)</sup>, Vicarios Imperii multo concinnius in A. B. prouisores Imperii appellari.

<sup>a)</sup> V. G. NECKER l. c. Cap. VI. §. I. TITIVS l. c. Lib. V. Cap. IX. §. XXVIII.

<sup>b)</sup> Conf. PFEFFINGER ad *Vitriarium*, Lib. I. Tit. XI. §. 2.

<sup>c)</sup> ad A. B. Tit. V. §. I. not. b. p. 553.

## §. XXXIX.

An R. R. Vicarius Imperatoris esse possit. *Rex Romanorum Vicarius Imperatoris vel esse, vel non esse potest.* Etenim Rex Romanorum est futurus Imperans Imperii Rom. Germ. per electionem constitutus (§. 4.); hincque ius futurum habet ad directionem exercitii maiestatis Imperii Roman. German. (§. 2.). Cum itaque hoc ius futurum vel ita concedi possit, vt simul transferatur ius, Imperatore impedito aut nolente, eius nomine exercitium maiestatis Imperii Rom. Germ. dirigendi, vel vt ius hoc simul



mul non transferatur, & in priori casu Rex Romanorum simul Vicarius Imperatoris esset, in posteriori vero non (§. 38.): Rex Romanor. Vicarius Imperatoris esse, vel non esse potest.

Prout vero ex ipsa notione Regis Romanorum minime fuit, quemlibet Regem Romanorum ius habere ad directionem exercitii maiestatis Imperii Rom. Germ. Imperatore impedito aut nolente, sed potius in illa hoc non determinatum est; ita etiam in legibus positivis hoc indeterminatum est relictum, hincque in capitulationibus Regum Romanorum determinandum. Quid vero in dubio praesumendum? An clausula: *Wir sollen und wollen Uns auch keiner Regierung noch administration im H. Rom. Reich weiter oder anders unterziehen, denn so viel Uns das von Kayserlicher Maiestat vergunt und zugelassen wird.* hoc determinet? sunt quaestiones, quae hic resolvi nequeunt, cum iura Regis Romanorum in administrando imperio concernant.

## §. XL.

*Rex Romanorum*, qui semel Vicarius Imperatoris non *Diniso R. R.* est constitutus, dicitur *regularis*: Rex Romanorum vero, *in regularem* & *irregularis* qui simul Vicarius Imperatoris est constitutus appellatur *irregularis*.

Coadiutores, inter quos & Reges Romanorum magna est similitudo, in regulares & irregulares a Dd. solent distingui a). Nemo itaque mihi vitio vertet, quod his terminis utar, ad insinuandam distinctionem Regum Romanorum, quae in tota doctrina de Rege Romanorum usum habet amplissimum, & non plane nova est b); quamvis, cum vulgo negligatur, termini, quibus exprimi possit, deficiant.

a) ENC. ENGAV *Elem. Iur. Can.* Lib. I. Tit. XIX. §. 198.

b) V. C. NECKER I. C. Cap. IV. §. 13. SEYBORT *de Rege Romanorum vivente Imperatore electo*, §. 19.

## §. XLI.

*Electo Rege Romanorum, finito Imperatoris, cuius An electio R.* *futurus successor est, regimine, non oritur interregnum;* *R. efficitur in* *terregnum* *nisi, non existere.*



nisi qui Rex Romanorum electus, iam ante talis esse desierit. Etenim Rex Romanorum statim finito Imperatoris, cuius futurus successor est, regimine in eius locum succedit. (§. 4. 2.) At enimvero, si Imperatoris regimine finito statim alius in eius locum succedit, impossibile est existere tempus a finito regimine vnus Imperatoris, vsque ad initium regiminis alterius Imperatoris, quod dicitur interregnum. Electo itaque Romanorum Rege, finito eius Imperatoris, cuius futurus successor est, regimine, non oritur interregnum. *Quod erat vnum.*

Cum vero fieri possit Regem Romanorum iam electum, talem esse definire ante finitum regimen eius Imperatoris, cuius futurus successor est, & si Imperatoris regimine finito non adest Rex Romanorum, interregnum existere necesse sit, quod in hoc casu, licet Rex Romanorum sit electus, tamen finito eius Imperatoris, cuius futurus successor erat, regimine oriatur interregnum, dubio caret. *Quod erat alterum.*

Regem Romanorum statim finito Imperatoris, cuius futurus successor est, regimine in locum eius succedere, eleganter exprimit paroemia illa: *Wenn der Kayser stirbt, setzet sich der König in den Sattel a)*. Notandum tamen non solum mortuo Imperatore, sed quocumque modo eius regimine finito, Regem Romanorum in eius locum succedere. Modi, quibus Rex Romanorum talis esse definire potest, sunt quatuor, mors, promotio, resignatio & depositio, prout pluribus docuit KLEINSCHMIDT *b)*.

a) HERTIUS *Paroem. Iur. Lib. II. Paroem. I. SPENER Iur. publ. Lib. IV. Cap. X. §. 6. n. a.*

b) in *Diss. de Rege Romano-Germanico. Sect. IV.*



## §. XLII.

*Ius, quod Vicarii Imperii ad directionem exercitii maiestatis Imperii Rom. Germ. habent, est ius futurum, cuius exercitium dependet ab existentia interregni tanquam conditione, quæ potestativa est respectu Statuum Imperii, & probabiliter non existit, si electio Regis Romanorum decernitur.* Iuris, quod Vicarii Imperii habent natura & indoles explicatur.

Ius, quod Vicarii Imperii ad directionem exercitii maiestatis Imperii Rom. Germ. habent, tum demum exercere possunt, si adest interregnum (§. 37.). Quamvis itaque ius ipsum Vicariis Imperii actu competat, tamen eius exercitium iis nondum actu competit, sed illud suspensum est ab existentia interregni. Enim vero ius, quod ipsum iam actu competit, nondum vero eius exercitium, est ius futurum (*not. ad §. 2.*), & id, a quo aliquid suspenditur, est conditio; est itaque ius, quod Vicarii Imperii ad directionem exercitii maiestatis Imperii Rom. Germ. habent, ius futurum, cuius exercitium ab existentia interregni tanquam conditione dependet. *Quod erat primum.*

Cum vero Status Imperii Regem Romanorum eligere possint, eoque electo non oriri interregnum, si non certum, ad minimum valde probabile sit (§. 41.), sicque hæc conditio ab arbitrio Statuum Imperii dependeat; conditionem hanc respectu Statuum Imperii potestativam esse patet (§. 478. Part. III. Iur. nat.). *Quod erat secundum.*

Quoniam vero decretum electionis Regis Romanorum ipsam electionem sequi, & Rege Romanorum electo non oriri interregnum (§. 41.), si non certum, tamen valde probabile est; hæc conditio probabiliter non existit, si Regis Romanorum electio decernitur. *Quod erat tertium.*

## §. XLIII.

*Per §. XV Art. III. Capit. nouiss. Vicarii Imperii etiam Vicarii Imperatoris sunt constituendi, si quidem Imperii* Quando Vicarii Impera-

F

pera-



*vicarii Imperatoris sint.* *vicarii Imperator ipse sibi vicarium constituit; neutiquam vero, si Imperium Vicarium Imperatoris constituit.* Dispositio Capit. nou. l. c. sequentis tenoris est: *Gleicher gestalten wollen Wir die Vicarien des Reichs bey ihren vralten, in der gülden Bull vnd den vnuerrückten Herkommen gegründeten Rechten der Verwesung des Reichs, so wohl nach Absterben eines Römischen Kayfers oder Königs, als auch bey dessen langwubriger Abwesenheit auffer Reich, oder wann derselbe, das Regiment selbst zu fuhren, durch andere Umstände behindert werden sollte. vneinbezüglich bleiben lassen.* Competit itaque, vi huius sanctionis, Vicariis Imperii ius, tam in interregno, quam Imperatore impedito aut nolente, exercitium maiestatis Imperii R. G. dirigendi; hincque Vicarii Imperii etiam Vicarii Imperatoris sunt constituendi (§. 38.). Cum vero vicarius Imperatoris vel ab Imperatore ipso, vel ab Imperio, per electionem Regis Romanorum irregularis (§. 40.), constitui possit, an hæc dispositio ad vtrumque casum pertineat? an vero ad vnum? & ad quem restringenda sit? dubium est; vnde per interpretationem sensus dubius huius dispositionis determinandus, Cum vero, si aut ad vtrumque casum hæc dispositio extenditur, aut ad illum casum, quo Imperium Vicarium Imperatoris constituit, restringitur, hic §. XV. manifesto contradiceret §. XI. eiusdem articuli III. & præterea in capitulationibus in regula non nisi iura & obligationes inter Imperatorem ab vna, & Imperium ab altera parte determinantur; ad illum casum hæc dispositio est restringenda, quo Imperator ipse sibi vicarium constituit. Sunt itaque Vicarii imperii vi XV. Art. III. Cap. Nov. etiam Vicarii Imperatoris constituendi, si quidem Imperator ipse sibi vicarium constituit; neutiquam vero, si Imperium Vicarium Imperatoris constituit.

§. XLIV.



## §. XLIV.

Vicarii Imperii, qua tales, nullam ius habent circa <sup>Quæstio</sup> quæstionem An? in electione Regis Romanorum; nisi, si eo <sup>Vicarii Im-</sup> fine decerneretur Regis Romanorum electio, ut interregno <sup>perii ius ha-</sup> non existente Vicarii Imperii ius suum exercere, nequeant, <sup>beant con-</sup> ius contradicendi. Quod circa deliberationem super quæ <sup>tradicendi,</sup> stione An? in electione Regis Romanorum, ut & circa hu <sup>si R. R. ele-</sup> ius quæstionis decisionem, si per illam Regis Romanorum <sup>ctio decerni-</sup> electio reiicitur, nullam ius habeant Vicarii Imperii, nulla <sup>tur?</sup> indiget probatione. Quando vero hæc quæstio ita deciditur, ut Regis Romanorum electio decernatur, tum quidem, Regis Romanorum regularis electione decreta, probabiliter non existit conditio, a cuius existentia exercitium iuris, quod Vicarii Imperii habent, dependet (§. 42.), & Regis Romanorum irregularis electione decreta, præterea alius, quam Vicarii Imperii, Vicarius Imperatoris constituitur (§. 42. 40.): nihilo tamen fecius, cum illa conditio respectu Imperii, sicque ex parte promittentis, potestatiua sit (§. 42.), si vero conditio potestatiua, ex parte promittentis est, is, quicquid potuerit, facere non tenetur, ut ea impleatur, nisi & hoc promiserit (§. 524. Part. III. Iur. Nat.), & iuribus Vicariorum Imperii non obuiet ab Imperio alium Vicarium Imperatoris constitui (§. 43.), nec in eo casu, si quæstio An? in electione Regis Romanorum ita deciditur, ut eius electio decernatur, Vicarii Imperii, qua tales, vllum ius circa eam habent, nisi, si electio eo fine decerneretur, ut non existente interregno Vicarii Imperii ius suum exercere nequeant, ius contradicendi; cum, qui sub conditione potestatiua obligatus, non efficere debeat, ne exster conditio, eo fine, ne quod promissum præstare teneatur (§. 523. Part. III. Iur. Nat.) Cum itaque omne ius, quod circa quæstionem An? in electione Regis Romanorum concipi potest, in ius circa deliberationem super ea, & ius circa eius decisionem, se resoluat, & per demonstrata circa deliberationem





super ea, & decisionem eius in eo casu, quo electio reiicitur, nullum, in casu vero, quo decernitur, non nisi ius contradicendi sub dictis circumstantiis iis competat, quod demonstrandum erat demonstratum est.

## §. XLV.

*Hodie Vicariorum Imperii consensus, si R. R. possunt, esse necessarium euincitur.* *Hodie electores semper, sine speciali Vicariorum Imperii consensu, electionem Regis Romanorum decernere possunt.* Si enim hodie Electores Regis Romanorum electionem decernunt, vna vel altera conditionum in constitutione de eligendo Rege Romanorum expressarum existit (§. 20.). Omnes hae conditiones vero tales sunt, vt, si earum vna vel altera existente electio Regis Romanorum decernatur, neutiquam eo sine hoc fiat, vt Vicarii Imperii exercitio sui iuris priuentur (§. 21.), & non nisi in hoc casu speciali Vicarii Imperii ius contradicendi habent (§. 44.); hodie itaque Electores semper, sine speciali Vicariorum Imperii consensu, electionem Regis Romanorum decernere possunt.

Titubat SPENERVS, acutissimus ille iuris publici interpret, quando de iure Vicariorum Imperii circa electionem Regis Romanorum agit. Mox consensum eorum semper necessarium esse iudicat <sup>a)</sup>, mox sententiam suam iterum restringit, & inter tempora ante constitutionem de eligendo Rege Romanorum, & post illam distinguit <sup>b)</sup>. Olim magis necessarium fuisse Vicariorum Imperii consensum putat, ac quidem hodie, ita tamen, vt & adhuc hodie consensus eorum non negligendus sit, quamuis eo prorsus denegato, etiam illis inuitis electio fieri possit. Quoniam vero hanc suam sententiam superstruxit falso principio, quod nimirum per Regis Romanorum electionem Vicariis Imperii ius quæsitum adimatur, ea, velut testum sublati columnis, corrui,

<sup>a)</sup> l. c. Cap. IX. §. VII.

<sup>b)</sup> not. e. ad §. cit.



## CAPVT QVARTVM

D E

I V R E I M P E R A T O R I S  
CIRCA QVÆSTIONEM AN?  
IN ELECTIONE REGIS ROMANORVM.

## §. XLVI.

*Per electionem Regis Romanorum regularis non læditur ius quaesitum Imperatoris.* Cum finito Imperialis? regularis? peratoris regime omne ius eius exspiret; ius quaesitum Imperatoris lædi dici nequit, si, eo adhuc fasces Imperii tenente, futurus Imperans constituitur. At enim vero Rex Romanorum regularis non nisi futurus Imperans est (§. 40. 4.); per eius electionem itaque ius quaesitum Imperatoris non læditur.

## §. XLVII.

*Per electionem Regis Romanorum irregularis, qui, si An per irregularis? Imperator ipse regimini adhuc præesse potest & vult, Vicarius R. R. electionem regimini constituitur, læditur ius quaesitum Imperatoris; non vero per electionem Regis Romanorum irregularis, qui, existente casu, quo Imperator ipse regimini præesse vel non potest, vel non vult, Vicarius Imperatoris constituitur.* Cum Imperator ius præfens habeat ad directionem exercitii maiestatis Imperii Rom. Germ. (§. 3. 2), hocque ipsi adimeretur, si Rex Romanorum irregularis priori modo eligeretur, cum ipse regimini præesse & velit & possit (per hypothesein); quod per electionem Regis Romanorum irregularis, priori modo factam, ius Imperatoris lædatur, omni caret dubio. *Quod erat unum.* lædatur?

Cum vero Imperator ius non habeat, si vel nolit, vel non possit regimini ipse præesse, sibi vicarium constituendi,

F 3

quem



quem velit (§. 43.), nec Imperatori ius competat prohibendi, quo minus, si ipse regimini præesse vel non potest, vel non vult, vicarius constituatur, qui vices eius supplere possit; in posteriori casu per electionem Regis Romanorum irregularis ius quæsitum Imperatoris non læditur. *Quod erat alterum.*

## §. XLVIII.

*Quatenus negotiorum electionis R. R. inscio, incisio, inconsulto & inuito Imperatore fieri potest. Consulto & inuito Imperatore suscipi possit?* *Deliberatio super quæstione An? in electione Regis Romanorum & si electio Regis Romanorum reiicitur, eius decisio, incisio, inconsulto & inuito Imperatore fieri potest.* Cum ne quidem per omnem electionem Regis Romanorum ius quæsitum Imperatoris lædatur (§. 46. 47.); multo minus per eum actum, quo inquiritur, vtrum quæstio An? in electione Regis Romanorum affirmatiue, vel negatiue decidenda sit, qui deliberatio super hac quæstione dicitur (§. II.), ius quæsitum Imperatoris læditur. Quod itidem illud non lædatur per ipsam decisionem huius quæstionis, si per illam electio reiicitur, nulla indiget probatione. Nil itaque obstat, quo minus vtrumque inscio, inconsulto & inuito Imperatore fieri possit.

## §. XLIX.

*Idem vterius expenditur,* *Electio Regis Romanorum decerni non potest inscio & inconsulto Imperatore; eo inuito vero decerni potest, nisi iustas dissensus causas allegare possit.* De iure Imperatoris circa electionem Regis Romanorum in capitulationibus nouissimis sancitum, quod electio Regis Romanorum *mit oder ohne des Römischen Kayfers Consens, wann derselbe auf angelegte Bitte ohne erhebliche Ursach verweigert werden sollte, vorgenommen -- werden solle.* Cum itaque, quod non nisi consentiente, vel etiam, consensu, præuia imploratione, sine iusta causa denegato, dissentiente Imperatore suscipi potest, eo inscio non fiat; quodque tum demum, denega-



negato Imperatoris consensu, suscipi potest, si causa denegati consensus non est iusta, eo inconsulto non fiat (*not. ad 32.*) Regis Romanorum electio, nec inficio, nec inconsulto Imperatore decerni potest. *Quod erat unum.*

Quod vero invito Imperatore electio Regis Romanorum decerni possit, nisi iustas causas allegare possit, cum ex ipsis verbis capitulationis satis pateat, ulteriori non indiget probatione. *Quod erat alterum.*

Non solum itaque pietas in Imperatorem iubet, ut antequam Electores ad electionem progrediantur, de consilio Imperatorem reddant certiore, eiusque consensum & fauorem imminenti electioni conciliare studeant, uti censet HOFFMANNVS <sup>a)</sup>; sed omnino perfecta quaedam obligatio illos tenet, ut hoc faciant. Electores enim ad id praestandum, ad quod Imperatori in capitulatione ius deerunt, perfecte obligati sunt.

a) In Comm. Iur. publ. de Rege Romanorum vivente Imperatore electo. Cap. II. §. IX.

§. L.

Cum itaque causa dissensus iusta sit, quae inde desumpta est, quod ius quaesitum laedatur: *quoties per electionem Regis Romanorum Imperatoris ius quaesitum laeditur, toties eo invito electio decerni nequit* (§. 49.). & corre.

§. LI.

Hincque *electio Regis Romanorum irregularis, qui Vicarius Imperatoris constituendus, Imperatore ipso nec impedito, nec nolente regimini praesse, invito Imperatore decerni nequit* (§. 47.). la.

§. LII.

Cum vero in genere, quoties Imperator iustas causas allegare potest, eo invito electio Regis Romanorum decerni nequeat (§. 49.); *etiamsi per electionem Regis Romanorum ius quaesitum Imperatoris non laederetur, tamen* viii.



*men eo inuito ea decerni nequit si iustas dissensus allegare possit causas.*

## §. LIII.

*illustratur.*

Hincque electio Regis Romanorum regularis, ut & electio Regis Romanorum irregularis, qui in casu, quo Imperator ipse regimini præesse vel non potest, vel non vult, eius vicarius constituitur, Imperatore inuito, si iustas dissensus allegare possit causas, decerni nequit (§. 46. 47.)

## §. LIV.

*De iudicio  
super iustis  
causis dis-  
sensus Impe-  
ratoris.*

*Electorum est privatiue, excluso Imperatore, exclusis quoque reliquis Imperii Statibus, iudicare, an causa dissensus Imperatoris iusta sit.* Pone quod non, sicque vel privatiue Imperatoris, vel Imperatoris & Electorum esse iudicare, an causa dissensus iusta sit. Tum sane electores, quoniam Imperator dissensus causam semper pro iusta habet, & si illa iusta est, Imperatore inuito electionem Regis Romanorum decernere nequeunt (§. 49.) nunquam inuito Imperatore electionem Regis Romanorum decernere possent. Cum itaque sic exceptio vel restrictio totam absorberet regulam, hocque absurdum: Electorum est privatiue, excluso Imperatore, iudicare an causa dissensus Imperatoris iusta sit. *Quod erat unum.*

Pone iterum quod non, & sic vel reliquorum Imperii Statuum privatiue, vel Electorum & reliquorum Imperii Statuum esse iudicare, an causa dissensus Imperatoris iusta sit: Tum Electores, in casu quo Imperator dissentit, privatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, Regis Romanorum electionem suscipere non possent, sed potius non nisi cum reliquis Imperii Statibus, vel reliqui Status soli eam suscipere possent. Quod cum manifesto contradicat constitutioni de eligendo Rege Romanorum (*Observ. II.*), in qua expresse conuenit, daß die Wahl des Römischen Königes



ges in solchen ein und andern angeregten wie auch erst gedachten Nothfall durch die Churfürsten mit oder ohne des regierenden Kayfers Consens vorgenommen werden solle; sicque absurdum sit: Electorum etiam est priuatiue, exclusis reliquis Imperii Statibus, iudicare, an causa dissensus Imperatoris iusta sit. *Quod erat alterum.*

Et hoc etiam erat, quod in genere demonstrandum. Possem quidem varia applicationem methodi demonstratiuæ in iure publico contentia, addere; sed reseruo ea alii occasione, & huic specimini inaugurali subscibo:

T A N T V M.



G

PRAE-



PRAESTANTISSIMO  
C A N D I D A T O

S. P. D.

CHRISTIANVS WOLFIVS,

FRIDRICIANAE CANCELLARIVS.

Non semel Viros & generis profapia, & dignitate, & do-  
ctrina eminentes conquestos audiui, quod plurimi in Academiis  
Ius publicum cum Historia status Imperii Romano-Germanici  
confundant. Non iniustae erant ipsorum querelae: cum enim in  
comitiis Imperii negotia publica tractanda essent, parum inde  
praesidii expectare poterant. Et profecto aliae longe esse debent  
Doctores iurispublici dotes, siquidem omnes muneris sui partes  
ex arte adimplere velit, quam ut nuda historiae notitia sit instru-  
ctus. Sola enim facta, quae recenset Historicus, nondum ius  
omne conficiunt. Peruulgatum est illud CICERONIS, & si  
vulgo non satis intellectum, penitus ex intima philosophia iuris  
artem esse hauriendam: quod etiam suo modo ad Ius publicum  
nostrum applicari posse nullus dubito. Nimis prolixum foret, si  
iam in hanc arenam descendere & ex instituto docere vellem  
quid intimior philosophia conferat ad ius publicum penitus inspi-  
ciendum. Suffecerit itaque speciminis loco pauca quaedam deli-  
basse. Ius naturae, quod nunquam certum efficies, nisi penitus  
ex intima philosophia hauriatur, omnes omnino regit actus hu-  
manos & pacta conuenta, quibus acquiruntur iura & obligatio-  
nes contrahuntur, ab eodem iure suam habent validitatem & fir-  
mitatem. Valida nimirum sunt pacta, quatenus ex naturaliter  
licito efficitur vel debitum, vel illicitum; firma vero sunt, quate-  
nus ipso iure naturali inducitur obligatio, ut, quod antea erat vo-  
luntatis, nunc fit necessitatis. Quamprimum vero per pacta con-  
uenta constitutum ius quoddam est & obligatio contracta, inde  
prono





prono quasi aluceo fluunt iura alia & obligationes aliaë, de quibus expresse non fuerat dictum, nec ut diceretur opus erat, propterea quod cum ceteris necessario nexu cohæreant, nec si quæstio de iis posthac incidat, ea aliter quam ita saluis pactis conuenienter definiri possint. Qui enim in hoc consentit, in ea etiam consentire debet, quæ ex eodem necessario consequuntur, nisi contradictoria concoquere, quam veritati cedere malit. Enim vero si ex eo, quod sumitur, reliqua deducere velis, quæ inde necessario fluunt, cum id aliter fieri non possit, quam ut legitima ratiocinatione inferantur, principiis opus est, quæ ex Iure naturæ ac aliis philosophiæ partibus petenda sunt. Atque ea de causâ late panduntur fores methodo demonstratiuæ in ipso etiam Iure publico, quippe præter quam non datur alia, quæ iusta ratiocinationum legitimorum concatenatione, qua sola latens veritas in apertum vbuius producit, ex assumtis deducit ea, quæ inde deriuanda sunt. Quicquid igitur sentiant alii, quorum liberum esto per me iudicium, ego idoneum Iuris publici Doctorem non agnosco, qui ex assè omnes muneris sui partes adimplere possit, nisi cum notitia Imperii Romano-Germanici exasciatam Iuris Naturæ ac Gentium theoriam & intimiorem philosophiæ cognitionem coniunxerit methodumque demonstratiuam in potestatem suam redegerit. Longe absurdum a proposito reprehendendi eos, qui facta fidehiter recensent, sine quorum notitia non datur ad cognitionem Iuris publici via; sed nec alius, nisi imperitus, reprehenderet, quod fundamenta structa venditare nolim pro ædificio iisdem super struendo. Ast instituti ratio minime permittit, ut longius latiusque iam diffundatur oratio mea, & acutioribus dicta hætenus sufficienter ad peruidendum ea, quæ paucis insinuare volui. Tu, Nobilissime Candidate, quin mentem meam penitus perspicias non est quod dubitem. Eleganti enim specimine Tuo, quod iam Eruditorum examini publice submittis, idem quod dixi comprobas, Ius Imperatoris, Vicariorum Imperii, Electorum & reliquorum Statuum Imperii circa quæstionem an? in electione



Regis Romanorum declarans. Recte a Te factum arbitror, quod cum studio Iuris tam privati, quam publici studium philosophiæ intimioris coniunxeris, nec ea neglexeris studia, quæ mentem defæcant & sine quibus concatenata seriè legitime ratiocinandi facultatem acquirere non datur. Non opus est vt in laudes Tuas me diffundam, cum quinam sis non modo præsentis specimine ostendas, verum etiam in posterum pluribus adhuc luculentioribus ostensurus sis. A Te enim optima quæuis in omni Iuris scientia Orbem eruditum expectare non vanus augur iubeo. Non igitur sine merito Tuo summum in vtroque Iure gradum Tibi conferendum decreuit amplissimus Iætorum in nostra Fridericiana Ordo, postquam solita Tibi facundia dissertationem Tuam publice defenderis & solida accuratione argumenta aduersus eam in medium allata discussis. Ego Tibi gratulor hosce honores & vt Tibi viam ad alios sternant sincera mente apprecor. Vale. Dabam in Fridericiana d. 28. Febr. 1744.





02 H 472

V118

ULB Halle 3  
003 096 653









No 277.

# ALIS NETTELBLADT

S. BORVISSOR. REGI A CONSILIIIS INTIMIS  
FRIDERICIANAE DIRECTORIS  
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARII  
P V S C V L V M

DE

# IMPERATORIS,

RIORVM IMPERII,  
LECTORVM,  
RELIQVORVM  
CVVM IMPERII



CA QVAESTIONEM AN?  
ONE REGIS ROMANORVM.


OLIM

IA REGIA FRIDERICIANA  
R A D U DOCTO R I S  
XVII. MART. MDCCXLIV.  
ANTE ET POMERIDIANIS  
DITORVM EXAMINI SVBIECTVM

EDITVM 1753. ET RECVSVM 1777.

HALAE SALICAE,  
NO HENDELIANO.

1744



B.I.G.

Farbkarte #13

